

25

443.

292.

ORDINIS IVRIDICI

IN

1793

2

ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T. DECANVS

EIVSDEMQUE

ORDINARIUS ET SENIOR

ERNESTVS MARTINVS

CHLADENIUS D

ERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CON
ILII AVLAE ET IVSTITIAE DECRETALIVM PROFESSOR
PUBLICVS CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTOR CVRIAЕ

PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO

S

1793

De ratione actionum cum fidei



HABET hoc aliquid scrupuli, an quis SIBI IPSI
dare quid possit, quod nobis regulariter AB
ALIO praestandum est, et an negotium, quod
alias INTER DVOS uel plures agendum est, ab VNO et
CVM SE IPSO peragi ualide possit. Scilicet absorum
forte iudicabis, aliquem secum pacisci, sibi ius aliquod
dare, sibi beneficium praestare, sibi imperare aut prohi-
bere posse, et uere eiusmodi auctibus CVM SE IPSO inter-
cedere uidentur uariae leges, quarum alia negat ^a, Praeto-
rem SE IPSVM tutorem dare, uel pedaneum iudicem aut
compromissarium, EX SVA SENTENTIA, fieri posse;
alia ^b legatum, quod quis SIBI IPSI in alieno testamento
adscribit, pro non scripto habet, et scribenti poenam

a 2

legis

a) L. 4. D. de Tutor. et Curat.

b) L. 6. pr. D. de L. Corn. de Falsis. et L. 4. C. de his qui sibi adser.



legis Corneliae minatur; alia cauet^c, ut creditor, qui debitum non per iudicem reposcit, sed **SIBI IPSI** ius dicit, rem, etiam propriam, per uim auferendo, ius crediti uel dominium amittat; alia praecipit^d, neminem **SIBI IPSI** causam possessionis mutare posse; alia^e decernit, neminem possesse **SIBI** esse iudicem; alia^f prohibet, ne quis arbiter de **RE SVA** factus sententiam dicat; alia^g denique negat, Praetorem, si ipse heres institutus suspectam dicat hereditatem, **SE IPSVM**, ut adeat, uel restituat hereditatem, cogere posse, cum Praetor in Praetorem, ut Consul in Consulem, nullum imperium habeat et ipse **TRIPLOM OFFICIO** fungi non possit, et suspectam dicentis, et coacti, et cogentis. Sed, quicquid sit scrupuli, tantum abest, ut irriti semper habendi sint **AETVS CVM SE IPO**, ut potius legum auctoritate sustineantur quam plures.

PRIMVM, quod ad officium **MAGISTRATVS** attinet, hoc quidem **ALIIS** paratum esse debet, ad expediendos actus iurisdictionis tum uoluntariae, tum contentiousae, nihilominus tamen leges hoc indulgent magistrati, ut hunc uel illum actum uoluntariae iurisdictionis,

qui
c) L. 13. D. quod metus causa et L. 7. C. Vnde ui.

d) L. 3. §. 19. D. de adquir. uel amitt. poss.

e) L. 10. D. de Iurisdic.

f) L. 51. D. de receptis.

g) L. 13. §. 4. D. ad SCium Trebell.

qui IPSVM tangit, CORAM SE perficere possit. Sic,
quod ad Romanos pertinet, Consulem seruos suos APVD
SE manumittere^h, et Praesidem APVD SE adoptare,
quemadmodum et emancipare filium et manumittere ser-
uum posseⁱ; VLPIANVS docet, ac, quod idem et PAVLVS
asserit, Consul, Praeses et Praetor filiusfamilias APVD
SEMETIPSVM emancipari uel in adoptionem dari pot-
est^k. Imo et hodie, praeserrim in Saxonia, hoc obtinet,
quod dominus iurisdictionalis aliasque magistratus, coram
PROPRIO SVO IUDICIO oppignorationem SVORVM bo-
norum hereditariorum, sub SVA iurisdictione sitorum,
ualide celebret, id quod in Decisione Electorali^l appro-
batum et deinde in Ordinatione Processus recognita^{ll} re-
petitum atque ad alios actus uoluntariae iurisdictionis ex-
tensum est, his uerbis: *Kan der Gerichts-Herr SELBST für
solchen SEINEN Gerichten SEINE EIGENE in SEINER Iuri-
diction gelegene Erb-Güter verpfänden und die Gläubiger
darauf beständig versichern, allerley Contracte errichten, Ver-
zicht leisten, ein Testament machen oder hinterlegen und der-
gleichen.* Quod autem ad contentiosam iurisdictionem spe-
stat, uix admittendum uidetur, iudicem IN SVA CAVSA iu-
dicare

a 3

^{h)} L. un. §. 2. D. de Off. Conf.ⁱ⁾ L. 2. D. de Off. Praef.^{k)} L. 3. D. de Adopt. L. 2. D. de Off. Pract.^{l)} DECIS. ELECT. 38. de anno 1651.^{ll)} ORDIN. PROC. RECOGN. ad Tit. 2. §. 3.



dicare posse. **V**LPIANVS enim negat^m, eum, qui Iurisdictioni praeest, SIBI IUS DICERE posse, et **I**VLIANVS censetⁿ, iniquum esse, aliquem REI SVAE iudicem fieri. Imo IMPERATORES generali lege decernunt^o, neminem SIBI ESSE IUDICEM, uel ius sibi dicere debere, additratione, quod IN RE PROPRIA iniquum admodum sit, alicui LICENTIAM tribuere SENTENTIAE. Sed manifestum est, hanc prohibitionem tantum respicere eas causas, in quibus iudex ipse PARTIS uicem sustinet, neque eam extendendam esse ad casus, ubi iudicis auctoritate opus est ad tuendam OFFICII SVI DIGNITATEM. Hinc, si partes, coram eo litigantes, de competentia fori disceptant, ipse pronunciare potest, SE ESSE COMPETENTEM. **V**LPIANVS ait^p: *Praetoris est aestimare, an sva sit iurisdictio.* Hinc etiam iniurias CONTRA SE in iudicio prolatas IPSE uindicare, itemque subditos, minus obedientes, ad obsequium cogere potest^q. Attingerem etiam hanc

quae-

*m) L. 10. D. de Iurisdict.**n) L. 17. D. de Iudic.**o) L. un. C. ne quis in sua causa iudicet.*

p) L. s. D. de Iudic. add. L. 2. pr. D. si quis in ius uoc. ad quam legem CVIACIVS Tom. 2. Opp. Posth. obseruat, omnem magistratum, qui SE COMPETENTEM pronunciat, non SIBI, seu REI SVAE familiari ius dicere, verum POTESTATEM concessam tueri, eumque id facere non solum posse, sed etiam debere.

q) L. un. pr. D. si quis ius die. non obt. et C. 1. de Poenis in 6.

quaestionem, an iudex, a cuius sententia appellatum est, ipse appellationem, quam friuolam esse putat, reiicere possit, quam negat ius ciuile^w, ius canonicum^x uero affirmat. Sed illam plenius iam tractauit LEYSERV^t, qui simul restatur, magistratus, extra Saxoniam, hac licentia saepissime uti, etiam contra ipsa summa Imperii tribunalia, idemque alio loco^y, ubi de appellationibus AD EVNDEM IVDICEM agit, hoc afferit, posse iudicem prouocationes AD SE IPSVM, sicuti usū receptae sunt, pro lubitu admittere, vel reiicere.

TRANSEO ad materiam de PRIVILEGIIS. Scilicet dubio caret, quod, si de sensu priuilegii disceptetur, IS IPSE, qui illud dedit, sit interpres SVI BENEFICII. Consentit non modo ius ciuile^w, sed etiam canonicum^x. At hoc difficile expeditu uidetur, an quis SIBI IPSI priuilegium dare possit. Haeret in hoc argumento ENENCKELIVS^z, qui plane negat, posse fieri, ut quis A SE IPSO priuilegium impetraret, ex ea praesertim ratione, quod concessio priuilegii fieri nequeat, nisi sint DVO, quorum

r) Nou. 82. c. 12.

s) c. 5. de Appellat. in 6.

t) LEYSERV^t Medit. ad Pand. Spec. 655. med. 12. sequ.

u) IDEM Spec. 654. med. 10.

w) L. 43. D. de vulg. et pup. subft. L. 191. D. de Reg. Iur.

x) c. 12. X. de Iudic.

y) ENENCKELIVS de Priuilegiis Iur. ciu. Lib. 1. cap. 7.



rum alter illud det, et alter accipiat. Sed, qui reputare
 secum uelit, VNV M interdum DVPLICEM PERSONAM
 sustinere, et nunc HOC, nunc ILLO respectu, diuerso
 iure censi, illi non uidebitur absolum, eundem ALIO
 RESPECTV aliquid DARE posse, quod idem RESPECTV
 ALIO possit ACCIPERE. Sic enim, se ipsum de
 feudo inuestire quem posse, mox dicetur. Sic etiam,
 quod hoc pertinet, fieri ceteris paribus potest, ut sum-
 mus princeps, qua talis, SIBI, quatenus simul aliam per-
 sonam sustinet, priuilegium aut concedat, aut iam con-
 cessum ab antecessore denuo confirmet. Sane AVGV-
 STISSIMI IMPERATORES per illud tempus, quo digni-
 tas Imperatoria penes DOMVM AVSTRIACAM fuit, in-
 signia priuilegia et praeeminentias, quibus Serenissima
 haec Domus splendet, Ipsi subinde partim nouis accessio-
 nibus auxerunt, partim denuo confirmarunt. Huc
 spectant Diplomata Imperatorum FRIDERICI III. de an-
 nis 1442. 1453. et 1475. CAROLI V. de anno 1530.
 RVDOLPHI II. de anno 1599. et CAROLI VI. de a. 1729.*
 et

2) Diplomata FRIDERICI III. CAROLI V. et RVDOLPHI II. ex-
 hibet LÜNIGVS im Reichs-Archiv Part. Spec. Contin. I. erste
 Forts. Seit. 4. pag. 28. 33. 37. et 66. seq. et FRANC. ERDIN.
 SCHRÖTTERVS in der ersten Abhandlung aus dem Oesterreichischen
 Staatrechte, von denen Freyheitsbriefen des Durchlauchtigsten Erz-
 hauses von Oesterreich, pag. 185. 202. 214. 218. et 244. qui etiam
 Diploma CAROLI VI. adiecit pag. 257.

et, quod ex Literis CAROLI VI. apparet, confirmatio eorum priuilegiorum etiam ab Imperatoribus, FERDINANDO II. anno 1620. FERDINANDO III. anno 1652. et LEOPOLDO anno 1663. facta est^{a)}. Recenserem ex his Codicillis Augustalibus ea capita, quae ad illustrationem huius argumenti quam maxime faciunt. Sed cum angustia harum plagularum prolixiori tractationi intereedat, sufficiet, partem Diplomatis, quo Augustissimus Caesar, CAROLVS VI. ex PLENITUDINE POTESTATIS CAESAREAE, priuilegia SIBI, tanquam Archiduci Austriae, et SERENISSIMAE DOMVI SVAE competentia confirmat, recensuisse: *Wir Carl der Sechste, von Gottes Gnaden, erwehlter Römischer Kayser — bekennen für Vns und Unsere Nachkommen am heiligen Reich — daß Wir ALS RÖMISCHER KAYSER, für vns, ALS der Zeit ALLEINIGEN ERZHERZOGEN ZV OESTERREICH und Lehnträgern Unsers gesamten Durchlauchtigen Erzhauses Oesterreich, alle und iede Priuilegia, Freyheiten, Gnad, Brief und Handvesten, welche von alten Kaysern und Königen Unsern Vorfordern, die Durchlauchtige Fürsten, Erzherzoge zu Oesterreich, durch ihr Blutvergießen, schwere Darlegung und Arbeit in der heiligen Christenheit kostbar-*

^{a)} Sed FERDINANDI II. FERDINANDI III. et LEOPOLDI DIPLOMATA nondum publici juris facta esse, assertit SCHRÖTTERVS Lib. cit. Sect. 4. §. 14. not. a.



kostbarlich erworben — FÜR VNTER DURCHLAUCHTIGES ERZHAVS — zu confirmiren, zu erneuern, zu beflättigen, gnädigſt gut befunden haben — und darum mit wohlbedachten Muth, guten zeitigen Rath und rechten Wiffen, VNS ALS DERMALIGEN ERZHERZOGEN ZV OESTERREICH, FÜR VNS VND VNTER ERZHAVS gemeiniglich und sonderlich der oben einverleibten Kayser Carls des fünften Brief in allen seinen Worten, Puncten, Clauseln — ALS IETZT REGIERENDER RÖMISCHER KAYSER, zu ewigen Zeiten confirmiret, bekräftiget, bestättet, erneuert und bevestiget; confirmireu, bekraeftigen, bestaetten, erneuern und bevestigen denselben auch hiermit wiffentlich in Kraft dieses Briefs, was Wir, ALS RÖMISCHER KAYSER, für VNS, ALS ERZHERZOGEN ZV OESTERREICH und VNTER DURCHLAUCHTIGES ERZHAVS — daran zu confirmiren, zu bekraeftigen, zu bestaettigen, zu erneuern und zu bevestigen haben und mögen. Mainen, ordnen, setzen und wollen von obbeschriebener VNTER KAYSERLICHEN MACHT VOLKKOMMENHEIT, daß obbeschriebener Kayser Carl Brief — staeth, vest und unverbrüchlich gehalten und vollzogen werden, und WIR VNS, ALS ERZHERZOG ZV OESTERREICH, Vnfere Erben, Nachkommen und unser Erzhanß — aller solcher Freiheiten, Rechten und Gnaden zu ewigen Zeiten gebrauchen und genießen sollen und mögen —

Non

NON inane est, quod dixi, posse aliquem SE IPSVM INVESTIRE de feudo. Quamvis enim nexus feudalis regulariter subsistat INTER DVOS, nimurum inter dominum directum et vasallum, et actus inuestiturae supponat, DVAS esse personas, aliam, quae inuestiat, aliam, quae inuestiatur, subinde tamen contingit, ut iura domini directi et vasalli concurrant in VNO, qui duplarem personam sustinet; et sic fieri potest, ut IDEM alio respectu sit INVESTIENS, alio autem respectu INVESTIENDVS. Consentit et idem hoc argumentum uberius exponit HORNIVS^{b)}, cuius est doctrina: *Non repugnat plane, etiam a se ipso fevdum qvem recognoscere posse et debere, et sic diuerso respectu et dominum et vasallum esse.* Cuius rei exemplum praebent Invictissimi Imperatores ex Domo Austriae, qui quam plurima feuda Imperii possident atque Capitulationibus spondent, se illorum renouationem imperare uelle ab Imperio, quod per Procuratorem fieri potest, uel saltem, si fieri commode nequeat, literas reversales Electoribus dare, ob eam rem, ne fortasse praescriptio alle-

b 2

gari

b) HORNIVS *Jurispr. Feud. Cap. V. §. 35.*

c) Quod HORNIVS dicit, *Electoribus dare*, hoc fundamentum habet in Capitulationibus LEOPOLDI ET JOSEPHI I. ab eo allegatis, quae eo tempore, quo HORNIVS haec scripsit, nouissimae erant. In his enim, ut in prioribus, inde a MATTHIAE electione, scriptum erat: *deswegen DENEN HERREN CHVRFÜRSTEN zur Sicherung*



*gari queat. Atque sic Imperator suo et Imperii nomine,
 consentientibus Electoribus, sibi ipsi etiam, tanquam Regi
 Bohemiae, uel Archiduci Austriae, fevdum dare posset.
 Idem contingere solet intuitu Electorum et Principum Eccle-
 siasticorum, qui, ut Principes Ecclesiastici, sibi ipsis, tan-
 quam Principibus secularibus, aut Comitibus, uel Baronibus,
 uel nobilibus immediatis, ceteris paribus, et nova fevda
 dare et vetera renovare possunt. Ne desideres
 exempla factae sibi inuestiturae, bina dabo. Augustissi-
 mus Imperator RUDOLPHUS II. anno 1599, sibi et reliquis
 Archiducibus Austriae inuestituram fecit intuitu terra-
 rum Austriacarum, id quod in Eius Diplomate, cuius
 mentio antea facta est, diserte commemoratur. Sic etiam,
 Augustissimum Caesarem, CAROLVM VI. sibi, qua Archidi-
 Duci Austriae, inuestituram fecisse, patet ex Eius Diplo-
 mate, cuius iam memini. Accipe eius partem: *Dass
 Wir, als Römischer Kayser, für Vns, als der Zeit ALLEI-
 NIGEN ERZHERZOGEN ZV ÖSTERREICH VND LEHN-
 TRAEGERN Vnsers gesamten Durchlauchtigen Erzhauses,
 alle und iede Priuilegia — für Vnser Durchlauchtiges Erz-
 hauss, NACH DER DEMSELBEN VNTER DEM 9. APRIL,**

ANNO

*Sicherung des Reichs gebührenden Revers oder Recognition zu-
 stellen. Sed in Capitulatione CAROLI VI. ita concepta sunt verba:
 deswegen DEM REICH zu dessen Verficherung gebührenden Revers
 und Recognition zustellen, et idem hoc in sequentibus Capitulatio-
 nibus, etiam in nouissima Art. X. §. u. repetitum est.*

ANNO 1728 VON VNS ALS RÖMISCHEN KAYSER, GEWÖHN-
LICHER MASSEN VERLIEHENEN KAYSERLICHEN VND REICHS-
BELEHNVNG, zu confirmiren — gnädigst gut befunden
haben. Aliud exemplum habet ITTERVS^d, qui refert,
Archiepiscopum Treuirensem, nomine Caesaris et tan-
quam Commissarium illius, ^{sibi ipsi}, ut Commendatori
Monasterii Imperialis S. Maximini in Archiepiscopatu
Treuirense, anno 1549. INVESTITVRAM IMPERIALEM per
procuratorem FECISSE.

SVCCEDAT alia quaestio, an in ELECTIONE, quae sit
a pluribus, quis SIBI IPSI VOTVM DARE possit. Equi-
dem obseruo, PLATONI suspectum uisum fuisse suffragium
sibi ipsi datum. Suadet enim ^e, ut, si creandi sint censo-
res, tres uiri elegantur, quem unusquisque meliorem, SE
SOLO EXCEPTO, iudicet. Leges tamen subinde admit-
tunt, ut quis se elegantium uota SVO SVFFRAGIO augere
possit. Sic, quod ad electionem SYNDICI attinet, secun-
dum PAVLI^f sententiam, si duae partes adfuerint, IS QVO-
QVE, QVEM DECERNENT, NVMERARI POTEST. LAVTER-
BACHIVS quidem negat^g, hanc legem permittere ELECTIO-
NEM SVI IPSIVS, atque rem mali exempli et imprudentis

b 3

ambitio.

d) ITTERVS de feudis Imperii Cap. 5. §. 1.

e) PLATO de Legibus Dial. 12.

f) L. 4. D. Quod cui, uniu. nom.

g) LAVTERBACHIVS Colleg. Theor. Praef. Lib. 3. Tit. 4. §. 12.



ambitionis uocat. Sed dubium hoc BERGERVS^h resoluit, atque hanc regulam obseruandam esse docet: *Quoties electio sit ab VNO, toties quis se IPSVM eligere NON POTEST, quoties autem electio sit a PLVRIBVS, toties regulariter POTEST.* Huic sententiae etiam fauet LYNCKERVSⁱ. Eadem regula, secundum Ius Canonicum, obseruanda est, si de ualore electionis CLERICI, A SE IPSO FACTAE, quaeratur. Etenim INNOCENTIVS III.^k negat, praebendam quem A SE IPSO accipere posse, ex ea ratione, quod inter dantem et accipientem DISTINCTIO PERSONALIS esse debeat. Etiam ALEXANDER III.^l cum Archidiaconi quidam ecclesiis, in suis Archidiaconatibus uacantes, PROPRIA AVCTOTITATE occupassent, hanc rem indignatus mandauit, ut Episcopus eos ad dimittendas ecclesiis censura ecclesiastica compellarat, et easdem ecclesiis de personis idoneis ordinet. Sed idem INNOCENTIVS permittit^m, ut, si in plures compromissum sit, et pars unum EX SE, pars alium nominet, et paria sint uota, iste possit ELECTIONI DE SE FACTAE ACCEDERE, adeoque SYO CONSENSV maiora facere, ad effectum, ut electio eius pro legitime facta habetur.

h) BERGERVS Resol. Leg. Obſt. Lib. 3. Tit. 4. qu. 1.

i) LYNCKERVS Anal. ad STRVVI Synt. Iur. Ciu. Lib. 3. Tit. 5. th. 1.

k) C. 7. X. de Inſtitut.

l) C. 3. X. de Excess. Praelat.

m) C. 33. X. de Elecſt.

beatur. Inde concludit LYNCKERV^s, etiam, si per scrutinum electio suscepta fuerit, post publicationem eius aliquem, mutato suffragio suo, prius alteri dato, illud adhuc SIBI DANDO, electionem IN SE complere posse. Verum in casu, si per compromissum VNI potestas eligendi data est, negat canon^o, hunc compromissarium SE IPSVM eligere posse. Secus tamen usum est Cardinali, Jacobo d'Offa, qui, cum anno 1316. sede papali post obitum Clementis V. per biennium vacante, collegium Cardinalium in eum compromisisset, ut nominaret successorem Clementis, mox hoc effato: EGO SVM PAPA, semetipsum elegit, et electionem approbante collegio Cardinalium, Iohannes XXII. dictus est. Porro, ut illustrius argumentum addam, in electione Imperatoris hoc obtinet, quod suffragium Electoris, SIBI IPSI DATVM, plenum vigorem habeat, et eligentium numerum augeat, id quod in AVREA BVLLA^p expresse sanctum est, his uerbis: *In casu denique, quo tres principes Electores praesentes, seu absentium nunci, quartum ex se, seu ipsorum consortio, uidelicet principem electorem praesentem uel absentem in Regem Romanorum elegerint, VOCEM ILLIVS ELECTI, si praesens adfuerit,*
aut

n) LYNCKERV^s Analekt. ad Desselii Erot. Jur. Can. Lib. 1.
Tit. 6. qu. 4.

o) C. 9. VIII. qu. 1.

p) AVREA BVLLA Tit. 2. §. 10.

aut nunciorum eius, si eum abesse contingeret, plenūm vi-
gorem habere et eligentium avgere numerum par-
temque maiorem decernimus constitvere, ad instar
ceterorum principum electorum. Exempla sunt in electione
SIGISMUNDI⁴, MAXIMILIANI II. RUDOLPHI II. MAT-
THIAE⁵ et CAROLI VI. qui, tanquam Reges Bohemiae, sibi
suffragium dederunt. Idem hoc factum esse a CAROLO VII.
tanquam Electore Bauariae, ex introitu Capitulationis eius
apparet⁶.

DEINDE si quaeras, an fieri possit, ut quis sibi ipsi
 IMPERET aut se prohibeat, dicat WERNHERVS⁷: *Neque*
insolens est, ut sibi ipsi quis, sub diuersa qualitate, im-
peret seqve prohibeat. Qua ratione Imperatores,
tanquam Archiduces Austriae, coram Camera lite pul-
satos fuisse et sibi ipsis, his uerbis: Wir Carl, Römischer
Kayser, entbiethen Dir Carl, Erzherzogen von Oester-
reich — IMPERITASSE, constat. Si etiam quis dubitet, an
dentur casus, ubi TESTIMONIVM PRO SEMETIPSO sit ad-
mittent-

4) Conf. DE LVEDEWIG ad Auream Bullam Tit. 2. §. 6. not. q. et §. 10.
 not. m.

5) Vid. REINKINGK de Regim. Secul. et eccl. Lib. 1. Cl. 3. cap. 5. n. 24.

6) Conf. ILL. MOSERV⁸ Vom Römischen Kayser, Römischen König
 und denen Reichsvicarien, Cap. 2. §. 23.

7) WERNHERVS in Diff. de Iuribus Vicariorum Imperii in Aurea
 Bulla expressis §. 32.

mittendum, conserat HERTIVM^w, qui ex instituto hoc argumentum exponit, et uariis exemplis comprobat, uel conuentione, uel testamento, uel lege fieri, ut eiusmodi testimonium ualeat.

PLVRA, quae mente agito, exempla ACTVVM CVM SE IPSO exponere non permittunt cancelli, quibus haec scriptio includitur. Hoc unum tamen, coronidis loco, addo, quod SAPIENTIAE argumentum putetur, si quis IPSE SIBI FINGAT FORTVNAM^w, et rerum suarum satagat, ut, quod LIVIVS^x de Catone dixit, FORTVNAM SIBI IPSE FACTVRVS uideatur. Videlicet hoc agunt honesta ingenia, cum, SIBI VIGILANDO, labori nunquam parcunt, ut multiplicit literarum apparatu se locupletent. Hac enim uirtute sua, quae latere non potest, sed, ut TYLLIVS^y ait, PER SESE SPLENDET, sibi fortunam facillimam parant, et honorum gradus sibi accelerant. Comprobat hoc suo exemplo Politissimus atque Dignissimus CANDIDATVS, IOANNES CHRISTOPHORVS LAVTERVS, Aduocatus Immatriculatus, qui eximiam, non solum iurium, sed etiam literarum,

quae

u) HERTIVS in Diff. de Satura rerum, quae ad Ius spediant, singularem, Cap. 9. de Testimoniis in propria causa utut iniurato, in Opusc. eius Vol. 2. Tom. 3. pag. 394.

w) PLAVTVS in Trin. Act. 2. Sc. 2. v. 84.

x) LIVIVS Lib. 39. c. 40.

y) CICERO pro Sextio c. 28.



quae ad humanitatem pertinent, cognitionem sibi multo studio et singulari industria comparauit, eaque re effectis, ut omnes boni ipsi sponte faveant, et spes sit certa, prosperam fortunam ei non esse defuturam. Vitae, quam cum laude egit, et studiorum suorum cursum ipse descripsit his uerbis:

Ego IOANNES CHRISTOPHORVS LAVTERVS, natus sum hac ipsa in musarum sede d. xix. Dec. CIOICCCXXXII. patre HENRICO CHRISTOPHORO LAVTERO, honesto loci huic ciue, quem fati acerbitate nonnullos ante annos mihi erexit adhuc lugeo, et matre ANNA MARIA, ex stirpe WILDEBRANDINA oriunda. Hi parentes optimi a tenera statim aetate me domesticis crediderunt praceptoribus, qui me cum religionis, tum graecae ac latinae linguae prima docuere rudimenta. Ex istorum numero potissimum nomine virum summopere colendum, M. IAEGERVVM, pagi, prope hanc urbem siti, cui nomen est Strache, iam concionatorem, qui et eruditione et morum elegantia quam maxime commendabatur. Eodem fere tempore patriae scholae traditus sum praceptoribus, et praeter alios tunc temporis Rectori Grauiissimo, nunc Eloquentiae Professori, ac Electoralium alumnorum Ephoro, Viro Excellentissimo HILLERO, cuius in me erudiendo eximia dexteritas nunquam satis laudanda est, quemque ob benevolentiam erga me animum grata colo mente, semperque sum culturus. Anno quinquagesimo sexto Lipsiam ad ludum Thomanum deductus, per sex annos ibi habui doctores, doctrina maxime insignes, ERNESTIVM summe venerabilem, LEISNERVM, FISCHERVM, KRIEGELIVM, HOFMANNVM atque DOLESIVM, quorum Virorum Clarissimorum tantus in me fuit favor, ut nulla unquam obliuio illius memoriam sit deletura. Spatiu[m] scholasticum emensus, et oratuncula in schola Thomana prius publice reedita, anno sexagesimo secundo in patriam redii, atque Rectore RITTERO, fasces tunc temporis Academicos maximam cum laude tenente, muras

sus salutauit patrias, cum iam antea WALTHERO Rectori in ciuium
 numerum fuisse receptus. Antequam vero Themidos, quae mihi na-
 xime arridebat, sacris initiatius sum, scholas, quibus maximo honore
 praecrant Viri Magnifici, Excellentissimi atque Amplissimi, HILLE-
 RVS, RITTERVS, TITIVS atque GILLINGIVS, frequentauit Philo-
 sophicas, Historicas et Mathematicas. His literarum copiis collectis
 ad iuris contendit disciplinam, in quo itinere duces secutus sum Peritis-
 simos, Viros Illustres, Magnificos, atque Iureconsultissimos, CHLA-
 DENIUM, qui et artis relatoriae praecpta mihi tradidit, cuiusque in
 me merita gratissimo veneror animo, KRAVSIVM, PAVLIVM, FI-
 SCHERVUM, WIESANDIVM, REINHARDVM, KLÜGELIVM, atque
 HOMMELIVM, quos Viros Celeberrimos, Doctissimosque docentes hi-
 floriam iuris, ius ciuile, canonicum, publicum et beneficiarium, audiui.
 In medicina legali Excellentissimi LANGGVTHII usus sum institutione.
 Exercitationibus examinatoriis et disputatoriis, tam publicis quam pri-
 uatis, Illustris KRAVSI, atque Excellentissimi HOMMELII, asidue in-
 terfui. Nec silentio praeterendus est Vir Excellentissimus GOTTLOR
 CHRISTIANVS KLÜGELIVS I. V. D. et Syndicus ciuitatis nostraræ
 longe meritissimus, qui mihi modum bene apteque concipiendarum re-
 lationum ex actis publicis formandique sententias ostendit. Quorum
 virorum, sanctissime calendorum, tot tantaque in me sunt beneficia,
 ut ea ne connumerare quidem, nedum satis dignis efferre possem lau-
 dibus. Anno MDCCLXVIII. dissertationem, quo processus genere
 ex libro censuali agendum sit? sub Praefatio Viri Excellentissimi
 ERNESTI GOTHOFREDI CHRISTIANI KLÜGELII publice de-
 fendi, a quo etiam modum in litibus tractandis obseruandum edocitus
 sum; id quod gratissimo semper recordabor animo. Eodem anno ex-
 amina publica pro Notariatu, Praxi et Candidatura iuris subii, at-
 que ab Illustri FACULTATE IVRIDICA VITEMBERGENSI
 dignissimus sum iudicatus. Ex hoc tempore aliquot studioſi iuuenes
 priuata institutione mea uti coepere, inter quos in primis et natalium
 splendore, et ingenti gloria, Illustrissimus Comes a Flemming eminet.



In sequenti anno summa Principis munificentia stipendio Electorali maiori, quod iurium Candidatis prasertim conferri solet, per triennium me ornauit. Quo anno quoque a Serenissimi Electoris Saxoniae Regimine, edito prius consueto specimine, in Aduocatorum numerum receptus sum. Hinc causas in foro perorare coepi. Denique ut fructus studiorum meorum colligere eo melius possem, ad examen, quod rigorosum vocant, admissus, iura, quae Doctori competunt, enixe petii.

IMO honestissimo huic petito Ordo noster, concordibus quidem suffragiis, lubentissime annuit et, CANDIDATVM Dignissimum summis in iure honoribus merito condecorandum esse, censuit. Antequam uero hoc fieri possit, ei incumbit, ut publice se exhibeat et in conflictu inaugrali partes suas tueatur. Fiet hoc die xxvi. Octobris, quo, sub Praesidio Viri Illustris atque Excellentissimi, GEORGII STEPHANI WIESANDII, Iuris utriusque Doctoris, Institutionum Professoris Publici Ordinarii, Curiae Provincialis, Scabinatus et Facultatis Iuridicae Assessoris, Collegae mei obseruanter colendi, Dissertationem de *Pacto remissorio* defendet, cui actui solenni ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, ACADEMIAE PROCERES ATQUE FAVTORES, nec non GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI CIVES, interesse non dedignantur, officiosissime rogo. Ego certe benevolentiae huius memoriam gratissimo semper recolam animo. Dabam d. xvi. Octobr. A. R. S. MDCCLXXIII.

LITERIS CAR. CHRIST. DÜRRIT ACAD. A TYPIS.

Wittenberg, Diss., 1770-73
X 2283235



25

ORDINIS IVRIDICI
IN 1793 2
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T. DECANVS
E IV S D E M Q V E
ORDINARIUS ET SENIOR
ERNESTVS MARTINVS
CHLADENIVS D
SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CON
ILIIS AVLAE ET IVSTITIAE DECRETALIVM PROFESSOR
PUBLICVS CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTOR CVRIAE
PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S

Der wahre Altersdienst